

1571 *ne cum hoste posse sibi persuadent ; quos primum vereor , ne nimia pacis cupido decipiat , cum e contra Turcarum potius dolos atque astus pensitare , ac meminisse oporteret , neque inani hac suasione quidquam de pristino animi vigore ac robore remittere . Quis enim facile sibi persuadere possit , Turcarum fastum , ambitionem , præferoces ac tumentes spiritus ita sese demittere potuisse , ut , Leucosia capta , Cypro pene omni subacta , a vobis pacem peterent ? Non hic mos effera , armisque innutrita gentis , quæ acrior in victos insurgit , atque vehementius & crudelius in eos debacchatur . Id agunt Turcæ , id moluntur , ut concordie spe allectos & delinitos vos , languidiores ad munia belli obeunda efficiant , fervidumque in animis vestris impetum restinguant . An non ii vos estis , qui egregio mentis impulsu bellum cum Selymo suscepistis ? qui , sprete legatione , Cubatem dimisistis ? qui ejusmodi & numero , & robore classem eduxistis , qua neque instructior , neque potentior patrum , aut avorum nostrorum tempestate visa sit ? An non ii demum estis , qui ingenti cum nominis vestri gloria in totius fere christiani orbis conspectu irreconciliable odium , æternas inimicitias cum hoste pepigistis ? Quanam ab ea sententia , quam semel susceptam constanter retinivistis , deflectere vos cogunt ? Sumptus ne , pericula , labores ? An non vobis animo hæc subjiciebantur , cum bellum decrevistis ? Attamen tanti non fuere , ut non infide , ac turpi paci periculosum bellum anteferretis ; satiusque , quid vestra virtus , quid vires possent , experiri , quam superbis Selymi postulatis annuere statueretis . Immutata ne forsitan temporum conditio ? placatus hostis ? Qui hæc sperat , semetipsum inani spe deludit , neque Turcarum morem , atque ingenium novit , neque præsentium rerum statum satis intelligit . Exigua igitur , ac prope nulla Ragazzonii negotiorum spe , quæ omnis ex hoste pendet , Rempublicam , spretis sociorum auxiliis , abjecto fœdere , sevientium hostium telis objiciemus ? Minime id quidem , ut ego arbitror , si maximarum rerum momenta , rationis trutina expendere voluerimus . Hinc enim Reipublicæ vires tum terrestres , tum maritimæ ; populorum ardor , & in Turcas perpetuum odium ; fœderatorum Principum auxilia ; concepta baud immerito de hoste debellando spes : inde tenuis tantum concordie*